

rogatque etiam pro sua, ac Patris clarificatione, ut expendi tom. 5. lib. 7. c. 20.

Secundo Vers. 9. Pro suorum discipulorum custodia, salute, ac conservacione orat Christus de quo eodem c. 20.

Tertio Vers. 20. Etiam orat Christus pro

illis, qui per Apostolorum, predicationem credituri sunt in ipsum, ut Divin. Pater eos servet a malo, & ut omnes sint unum, ac etiam ut cognoscat mundus ipsum esse missum a Patre: De quo eodem c. 20.




CAPUT XVIII.

1. **I**ta cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, & discipuli eius. 2. Sciebat autem & Judas qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. 3. Judas ergo cum accepisset cohortem, & Pontificibus, & Pharisaeis ministros: venit illuc cum laternis & facibus & armis. 4. Jesus itaque sciens omnia quae ventura erant super se, processit, & dixit eis, quem quaeritis? 5. Responderunt ei, Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus, ego sum. Stabat autem & Judas qui tradebat eum cum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos, Quem quaeritis illi autem dixerunt: Jesum Nazar. 8. Resp. Jesus dixi vobis, quia ego sum, si ergo me quaeritis, finite hos abire. 9. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi non perdidit ex eis quemquam. 10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum: & percussit pontificis servum: & abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. 11. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum? 12. Cohors ergo & tribunus & ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum: 13. Et adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim socer Caiphae, qui erat Pontifex anni illius. 14. Erat autem Caiphias, qui consilium dederat Judaeis, quia expedit unum hominem mori pro populo. 15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus & alius discipulus; Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introivit cum Jesu in atrium Pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris: exivit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariae, & introduxit Petrum. 17. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria, Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille, non sum. 18. Stabant autem servi, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis & de doctrina ejus. 20. Respondit ei Jesus, Ego palam locutus sum mundo, ego sepe docui in synagoga, & in templo quo omnes Judaei conveniunt, & in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis, ecce hi sciunt quae dixi tibi. 22. Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapa Jesu, dicens: sic respondes Pontifici? 23. Respondit ei Jesus, si male locutus sum testimonium perhibe de malo: Si autem bene, quid me caedis? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus, stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis ejus es? negavit ille & dixit: Non sum. 26. Dicit ei unus, ex servis Pontificis, cognatus ejus cujus abscidit Petrus auriculam: nonne ego te vidi in horro cum illo? 27. Iterum ergo negavit Petrus, & statim gallus cantavit. 28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in praetorium, erat autem mane: & ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? 30. Responderunt & dixerunt ei, si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo ei Pilatus: Accipite eum vos & secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judaei: Nobis non licet interficere quemquam: 32. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. 33. Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, & vocavit Jesum, & dixit: Tu es Rex Judaeorum? 34. Resp. Jesus, a te meipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? 35. Respondit

pondit Pilatus, nunquid ego Judaeus sum? gens tua, & pontifices tradiderunt te mihi; quid fecisti? 36. Respondit Jesus, Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judaeis: nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? respondit Jesus, Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus: quid est veritas, & cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judaeos, & dicit eis: ego nullam invenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in pascha, vultis ergo dimittam vobis regem Judaeorum? 40. Clamaverunt ergo rursus omnes dicentes, non hunc, sed Barabbam; erat autem Barabbas latro.

ARGUMENTUM cum Remissionibus.
Primo Vers. 1. Describit Evangelista Christi passionem, ac ejus comprehensionem in orto. De quo egi tom. 5. lib. 8. cap. 3. & supra Matth. 26.
Secundo Vers. 13. Describitur Jesus apud Annam, vers. 19. Alapam inflatam Jesu vers. 24. apud Caipham, quae omnia explicavi tom. 5. lib. 8. c. 4.
Tertio Vers. 27. Trina Petri negatio; quam explicavi citato lib. 8. cap. 5. & supra Matth. 26.
Quarto Vers. 28. Proponitur Jesus coram Pilato, examenque ab ipso Pilato factum; qui deprehensa Jesu innocentia, intendit eum liberare, quod expendi tom. 5. lib. 9. c. 7.
Quinto Vers. 9. Proponuntur populo Jesus & Barabbas; & populus pro Barabbas clamat. De quo egi citato lib. 8. c. 9.



CAPUT XIX.

1. **I**ta ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. 2. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, & dicebant, Ave Rex Judaeorum, & dabant ei alapas. 4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. 5. Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Ecce homo. 6. Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non invenio in eo causam. 7. Responderunt ei Judaei: Nos legem habemus, & secundum legem, debet mori, quia filium Dei se fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, debet mori, quia filium Dei se fecit. 9. Et ingressus est praetorium iterum, & dicit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus: mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Jesus: non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper, propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12. Exinde quaerebat Pilatus dimittere eum; Judaei autem clamabant, dicentes, si hunc dimittis, non es amicus Caesaris, omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari. 13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum: & sedit pro tribunali in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. 14. Erat autem Paschae hora quasi sexta, & dicit Judaeis: ecce rex vester. 15. Illi autem clamabant: Tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? responderunt Pontifices: non habemus regem, nisi Caesarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, & eduxerunt. 17. Et bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariae locum, Hebraice autem, Golgotha. 18. Ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc, & hinc: medium autem Jesum. 19. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, Jesus Nazarenus rex Judaeorum. 20. Hunc ergo titulum multi Judaeorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraice, Graece, & Latine. 21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judaeorum

